



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

An ablato habitu fidei, auferatur etiam simul habitus Theologiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

SECTIO VI.

ad summum probent, non esse hæreticos, quando non sunt pertinaces contra ecclesiæ auctoritatem; quod verò non sint infideles nullo modo probari potest.

109

Tertio, quis dicat incredulitatem primorum parentum, si verè, ut aliqui volunt, peccarunt contra fidem, fuisse dissensum ab auctoritate ecclesiæ? & tamen omnes, qui dicunt, eos, vel alterum eorum peccasse contra fidem, fatentur commississe verum, & proprium peccatum infidelitatis, & amisisse habitum fidei infusæ, ut videri potest latè apud Suarez de opere sex dierum lib. 4. cap. 2. & 4. Noè etiam, Abraham, Moyses, & alij, si non credidissent ea, quæ Deus illis reuelabat, infidelitatis peccatum commississent, & perdidissent fidem, quamvis nihil eorum ab ecclesiâ accepissent; non ergo allegari debet infidelitas, vel amissio fidei ad solam incredulitatem cum dissenso à communi sensu Ecclesiæ. Nec loca aliqua Augustini, & Innocentij, quæ Hurtadus affert, id probant, loquuntur enim de hæresi, ad quam illa conditio requiritur, ut videbimus infra agentes de hæresi, vel de eo, qui sine pertinacia errat, sed paratus est corrigi, & ideo à peccato graui sæpè excusatur. Solum posset ob stare S. Thom. quæst. 5. art. 3. ubi in principio articuli, & in corpore solum mentionem facit de hæretico, in quo dicit non posse manere veram fidem informem de alijs articulis, quos credit. Sed verè S. Thomas doctrinam generalem tradit de omnibus, qui negant aliquem articulum; & licet aliquando exempli gratia nominet hæreticum, sed tamen alibi doctrinam generalem tradit omnibus negantibus aliquid fidei, ut in 2. & in 3. argumento & in argumento sed contra: nominat autè sæpè hæreticum quia cum quæstio sit ibi de credente omnes articulos, & negante vnum solum, & hic communiter loquendo si hæreticus, quæstionem, & doctrinam applicat ad hæreticum. Cæterum in ipso articuli titulo nulla sit mentio de hæretico, sed de discrepante vnum articulum, & credente alios, quia nimirum quæstio generalis erat de omni negante cum peccato infidelitatis vnum solum articulum quomodoque illum negaret.

An ablato habitu fidei, auferatur etiam simul habitus Theologiæ.

110

De hoc puncto latè hic dicendum esset, nisi dictum iam fuisset supra diff. 1. sect. 13. præsertim §. 7. ubi de habitu Theologiæ diximus, quomodo distinguatur ab habitu fidei, & an supra habitum fidei addat aliquem alium habitum infusum, & in vniuersum diximus, neutrum manere in hæretico, sed solum habitum acquisitum, qui in vna sententia sunt solum species bene dispositæ, & coördinatæ. Sicut ergo hæreticus non elicit actum fidei supernaturalem circa alios articulos veros, quos credit; ita nec elicit actus supernaturales Theologiæ circa conclusiones, quas ex fidei principiis infert, sed actus naturales, ad quod non indiget habitu Theologiæ infuso, quæ omnia ex principiis ibi latè probatis facile colliguntur, ubi etiã doctorum sententias retulimus, quæ ibi videri possunt, & alia omnia, quæ ad hoc dubium poterant pertinere: hæc dicta sint de expulsiōe habitus fidei ob peccatum infidelitatis. Nunc videndum restat de repugnantia actus fidei circa vnum articulum in eo, qui errat culpabiliter circa alium, de quo sect. sequenti.

Verum maneat actus fidei in eo, qui scienter negat alium eiusdem fidei articulum.

Dixi, in eo, qui scienter negat: nam de eo, qui ignoranter negat, est diuersa quæstio: quidem, si ignorantia sit inuincibilis, non est difficultas, quod possit simul alio actu fidei credere alios articulos, illum enim alium ideo negat, quia absque eius culpa non proponitur ei sufficienter credibilis. Maior posset esse difficultas, an cum dissenso circa vnum articulum orto ex ignorantia mortaliter culpabili possit esse actus fidei circa alium articulum: nam suppono, peccatum illud esse eiusdem speciei cum peccato infidelitatis commisso absque ignorantia, ut cum alijs dixi diff. 16. de penitentia sect. 4. num. 192. Cæterum etiam eodem loco num. 193. & sequentibus, dixi, eo dissenso non perdi habitum fidei, nec etiam tolli, quod circa alios articulos possit exerceri verus fidei actus: quia voluntas requisita ad actum fidei, est solum voluntas credendi Deo, & subiiciendi intellectum auctoritati diuinæ propositæ supremo cultui, cum qua voluntate potest stare dissenso articuli nondum sufficienter propositi, licet simul etiam sit negligentia culpabilis in inquirenda reuelatione Dei. Sicut licet peccet aliquis grauiter contra obligationem fidei, exponendo se sine causa sufficienti periculo mortali incidendi in hæresim, interim tamen dum non incidit adhuc est Catholicus, & credit fide infusâ omnes fidei articulos: sic etiam negligentia culpabilis circa notitiam fidei stat cum vera fide circa alios articulos, quia illa non est negatio fidei, sed non curare de inquirenda veritate reuelationis. Videantur ibi dicta, quæ non est necesse hic iterum repetere, & quæ diximus sect. præcedenti in principio.

Loquendo ergo de assensu contra fidei articulum scienter habito, solus Durandus in 3. diff. 23. quæst. 9. dixit posset esse simul cum actu fidei circa alios articulos, quia id videtur experientia testari in hæreticis, qui negantes aliquos articulos, alios tamen firma fide retinent. Quam sententiã omnes alij reiiciunt, & colligi videntur ex Tridentino dicta sess. 6. cap. 13. Docente, fidem amitti per peccatum infidelitatis, ubi licet darenus, non esse etiam sermonem de habitu, ad minus videtur fatendum esse sermonem de actu fidei: ideoque Paulus 1. ad Timoth. 1. amissionem fidei comparat naufragio dicens, quidam repellentes bonam conscientiam circa fidem naufragauerunt. Sicut enim in naufragio omnium pariter bonorum situctura, sic per recessum ab vno fidei articulo tota fides amittitur, & cap. 16. de illis, qui in vno articulo errabant, dixit, si quis aliter dicit, superbus est, nihil sciens, hoc est, scientia sanctorum, quæ est fides; non ergo retinet fidem circa ceteros articulos. Vnde Augustinus lib. 1. contra epistolam Parmeniani cap. 7. dixit, hæreticos, non re ipsa, sed nomine esse Christianos, qui etiam videri potest lib. de fide & simbolo cap. 10. & gn. 11. in Matth. & alij Patres, quos supra indicauimus ad probandam expulsiōem habitus fidei per hæresim: ij enim magis expresse negant actum fidei in hæretico, quam habitum. Tota